

potius non multum post nouae iterum, imo plures, quam ante excogitatae testamentorum sollemnitates, quibus implicarentur vltimae voluntates. Cum enim Patricii, vt potestatem iura tam ferendi, quam interpretandi, inuita plebe, sibi solis quomodocunque vindicarent, inter fraudes varias hoc quoque vterentur stratagemate, vt iura certa atque plana variis inuoluèrent subtilitatibus, inde legum actiones, hisque a Cn. Flauio diuulgatis, nouae iterum agendi formulae et notae: hinc testamentis quoque certam dabant formam, variasque denuo excogitabant sollemnitates, maximam partem veterem in comitiis testandi modum repraesentantes, vnde coram testibus quinque habilibus, rogatis, vno actu testandum erat, quibus omnibus accedebat imaginaria familiae mancipatio, adhibito libripende et familiae emtore, vid. *supra* §. 4. *seqq.* ibique cit. *VLPIANVS Fragm. XX. 9.* Quamuis autem et haec testamenta, quae per aes et libram dicebantur, post haec iterum in desuetudinem abierint (quo tempore tamen praecise desierint esse in vsu, certo determinari vix potest, conf. *B. THOMASII saepius cit. disput. de sensu legis Decemuiralis testamentariae, §. 36.*) Praetor enim, plerisque sollemnitatibus praescissis, omne testamentum, quod coram septem testibus esset factum, ratum habebat, vid. §. 2. *Inst. de Test. ord.* tamen cum postea paulatim tam ex vsu hominum, quam ex constitutionum emendationibus coepisset in vnam consonantiam ius civile et praetorium iungi, vid. §. 3. *I. de Test. ordin.* sollemnia quaedam, quibus hodiernum vtimur in testamentis, ex veteri iure remanserunt. Licet vero Iustinianus, cum nouum meditaretur legum Codicem, pro plenissima, qua pollebat, leges condendi potestate, omnes inutiles sollemnitates penitus rescindere et potuisset et debuis-